



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Prudens consilium de non temere diffiniendo, deque non seruando quæ
temerè diffinita fuerint. Capvt. CCXVI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Miraculum fontis baptismalis in Coeanensium ciuitate.

C A P V T C C X I I I .

SORVBA vius quidam est ad radices montis, in quo sita est Coeanensium ciuitas. In eo baptisterium est, quod in sanctis epiphanijs sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptismum peractum decrescere incipit, & tribus alijs horis sensim deficit.

Aliud miraculum baptisterij castelli Cedebratis.

C A P V T C C X V .

EST & in castello Cedebratis, quod sub monte Aenoandron ciuitatis situm est, baptisterium, quod in paschali sanctae resurrectionis festiuitate, cum sit lapis vnus, ex se ipso continuo impletur. Duratque aqua illa vsque ad Pentecosten, moxque transacta Pentecoste euanescit. Vtraque vero ista miracula in prouincia Lyciae fiunt. Siquis autem haec ita esse non credit, vsque ad Lyciam non grande iter est, pergat, ut rei veritas, fidem illi faciat.

In paschali sanctae resurrectionis festiuitate.

Prudens consilium de non temere dissiuendo, deque non seruando quae temere dissoluta fuerint

C A P V T C C X V I .

CV M esse semel in sancta ciuitate, venit ad me vir quidam fidelis, & dixit mihi: Quia quaedam indignatio oborta est inter me, & fratrem

Item meum, & ille non vult reconciliari mihi, alloquere illum, & ad reconciliationem exhortare. Quod ego libentissimè suscipiens, conueni fratrem illius, locutusque cum illo sum ea quæ ad charitatem, & concordiam pertinere videbantur. Visusque est interim obtemperare mihi. Postmodum verò dixit ad me. Reconciliari nequeo, quia iuravi per Crucem ultra illi non reconciliari. Quo audito, sub ridens aio ad illum: Iuramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses: per pretiosam Crucem tuam, Christe, non obseruabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non solùm enim non debemus ea seruare, quæ à nobis pessimè diffinita fuerint, sed etiam maximè pœnitentiam agere, & affligi in his, quæ contra nostram salutem malè diffiniuimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset neque iusiurandum, quod stultè emiserat, seruasset, nunquam profectò maximum illud scelus admisisset, vt præcursorem Christi decollaret. Quod quidem ipsius Basilij sententia confirmatur, quam de Euangelio sumpsit, quando voluit Dominus lauare pedes beati Apostoli Petri, cùm ille primò pertinaciter obstans, postea sententiam mutauit.

Optimum senis consiliũ, ne monachus mulieri appropinquet.

CAPVT CCXVII.

DIXIT senior quidam: Filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuo soluitur, & deficit. Et monachus similiter ex muliere est. Itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atq; in id definit, vt iam monachus non sit.